

SPECIMEN ACADEMICUM,
MOMENTA QUÆDAM PRÆCIPUA
LOCORUM ET TEMPORUM, IN HISTORIA
LITERARUM ET ARTIUM OBSERVANDA,
ENUMERANS,

QUOD

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOENS.

PRÆSIDE

MAG. FRANC. M. FRANZEN,

HISTOR. LITTER. PROF. REG. ET ORD.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERT

JACOBUS STÅHLE,

STIP. REG. OSTROBOTN.

In Auditorio Majori die 5. Maji 1802.

Horis a. m. confuetis.

ABOÆ,

In Officina FRENCKELLIANA.

HANDELSMANNEN I ULEÅFORG,
ÅDEL OCH HÖGAKTAD
HERR JACOB SPORMAN,
SAMT
ÅDLA FRUN
ANNA SPORMAN,
FÖDD SCHULIN,
VÖRDADE FARBROR OCH FASTER!

ja
EDRÄ namn, som likt alla ådla välgörares, hellre söka att gömma sig, än synas, har jag likväl, öfverväldigad af min tacksamhet, vågat vid dessa blad teknna för Allmänheten. Så liten anledning J tyckens åga, att nämñas i den lärda verlden: så flort skål har jag funnit, at i denna afhandling hellre anföra EDRA namn, än alla lärda Auktorsers. Hyad jag af dessa inhemitat, visar sig sjelft. Men just detta, — churu obetydligt, för mig dock så viktigt, att derpå min lycka beror, — vore utom Ea aldeles intet. Min hela födelsebygd vet det, — och hvil skulle jag icke också utom den för alla de hjertan, som på denna, kanske mer än på någon tid, behöva tröts af fina likars ådla gerningar, offentligen bekänna det: att åfven jag, ibland mina öfriga fader- och moderlösa syfkon och bland andra vårnlösa barn, dem J uppmostrat, i Ea funnit nya förfäldrar: att jeg Ea allena har att tacka icke blott för all min utsigt till framtidens bergning, utan för det som änn är mer, för all min grad af odling til menniskja, all min kånska af mitt menniskjovärde, all min häng til uppfyllandet af mina plikter i den krets af samhället, dit jag snart från dessa ungdomens önsningar torde intråda. Andras erfarenhet har sagt mig, att tacksamheten, så varmt hos en oförderfynd yngling, ofta nog iblandmannens egennyttiga omföger mattas och askolnar. Mätte icke mitt hjerta undergå en så olycklig förvandling, att den brinnande kånska af min förbindelse någonstün åfven efter Ea död, i fall jag den öfverlefsde, skulle förlvgas, med hvilken jag nu tekna mig

MINA ÅLSKADE FOSTERFÖRÄLDRARS

lydigste och tilgivna bror som
JACOB STÅHLE.



Cum historiæ literarum & artium tantum discen-
dæ, quantum a juvene studiis in genere acad-
emicis occupato fieri solet, operam darem: id mihi ad
universum illius quasi conspectum comprehendendum
& in mente servandum magnæ esse utilitatis intelle-
xi, ut externa quædam momenta locorum & tem-
porum, quibus præsertim literæ & artes floruerunt,
animo meo præsentia reddere studerem.

Cum igitur specimen aliquod academicum pro
gradu philosophico mihi edendum esset: hæc momen-
ta, quatenus scilicet mihi ante animum obversaren-
tur, literis brevissime consignare institui: non quia
novi aliquid & perfecti proferre valerem; sed ut me-
moriam & mei ipsius & forte aliorum, qui hujusmo-
di legunt dissertatiunculas, ad præcipuas artium &
literarum mutationes & progressus mente comple-
ctendos excitare & sublevare tentarem.

Cum locus & tempus conditiones sint nécessa-
riæ, sine quibus nihil factum esse cogitari potest: in
omni quidem narratione hæ res observandæ sunt: h.
e. historia chronologiæ & geographiæ subsidiis care-

ne nequit. Sed de tali temporis & loci ratione in literaria etiam historia habenda, nos non disseremus. Ita vero de locis primum monebimus, ut exempla ejusmodi locorum afferamus, quæ præ ceteris domicilia & sedes artium literarumque fuerunt, vel terræ situs, vel cœli temperie, vel imperii, vel institutorum, vel aliarum aut naturalium aut artificialium rerum causa: quas vero examinandi negotium nobis suscipere, & consilium opellæ nostræ & brevitatis studiū nos vetant. Deinde de temporibus similiter agemus.

CAP. I.

Prima quidem ingenii humani incunabula in Mesopotamia vel Singar, in ripis scilicet Euphratis & Tigris, quærenda sunt; ibi enim primæ gentes post diluvium habitasse, primasque instituisse societas videntur. Quantum vero incrementi artes & literæ potentiae, opibus & luxui magnarum illarum urbium, Ninives & Babyloniae, debuerint: difficile est judicatu. Ædificia tamen & horti atque lacus & rivii arte facti, monumenta famosa magnificentiae regum Babylonicorum, Semiramidis præsertim & Nebucadnezaris, de cultura artium, non usui tantum, sed etiam pulchritudini, pompæ saltem & voluptati, inservientium testantur.

Idem de *Thebis* & *Memphi* in Ægypto judicare licet. Ubi scilicet templorum, sepulchrorum, palatii
Osy-

Osymandiæ, labyrinthi, obeliscorum, pyramidumque non pompa solum gigantea, sed sensus etiam symbolicus, novam excitavit eruditorum curiositatem, multisque persuasit: Ægyptios non in artibus tantum mechanicis, sed in scientiis etiam, Astronomia præser-tim, majores fecisse progressus, quam cetera de hac gente notitia credere fecit.

Sed non imperiorum tantum, verum etiam religionis & commerciorum sedes literas & artes ad se allicere solent. Neque sacrarum igitur urbium, *Heliopolis* in Ægypto, *Persepolis* in Persia, & *Hierosolymarum* in Judæa; neque *Tyri* in Phœnicia, opibus & artificiis potentis, mentio est prætereunda.

In Græcia vero præcipua literarum & artium domicilia quærenda esse, quis nescit? Quorum hæc fere sunt maxime memorabilia: primum, in Asia minori urbes, commerciis, opibus & luxu florentes, *Sardes*, ubi Crœsi palatum inter cetera artifacia com-memoratur, *Alcmanni* vel *Alcmaeonis* patria; *Halicarnassus*, sepulchro Mausoli, aliisque artis monumentis celebris; *Miletus* omnium in Asia minori opulentissima civitas, *Thaletis* patria; *Ephesus*, ubi famosum erat Diana templum; *Gnidus*, Veneris templo statua-que ejus, a Praxitele facta, nobilitata; posteriori autem tempore *Smyrna*, ubi Homericum erat celebre ædificium; deinde insulæ in Archipelago, *Lesbus*, poë-

tarum Lyricorum Alcæi, Sapphus, Erinnæ laudibus
 insignis; *Parus*, Archilochi patria; *Samus*, Junonis
 templo & Pythagoræ natalibus clara; *Rhodus*, ædifi-
 ciorum & statuarum, nec non eloquentiæ causa, ab
 artium & literarum studiosis frequenter adita; & quæ
 cetera sunt insulæ Musarum cultu illustratæ; porro
 Græciæ Europææ civitates: quarum aliæ terræ fer-
 tilitati, ut *Sybaris* & *Agrigentum*; aliæ commercio-
 rum & navigationis flori, ut *Corinthus* & *Athenæ*; a-
 liæ imperii & rerum gestarum magnitudini, ut *Athe-
 næ*, *Thebæ* & *Syracusa*; aliæ religioni & institutis, vel
 sacris vel politicis, ut *Delphi*, oraculi Apollinaris &
 Amphiætyonum sedes; *Olympia*, non Athletarum tan-
 tum, sed etiam Poëtarum & Historicorum, *Pindari* v.
 c. & *Herodoti*, campus; *Croton*, Ordinis Pythagorici
 domicilium: illas debuerunt opes, illam hominum fre-
 quentiam, illam ingeniorum alacritatem, illudque ve-
 ri & pulchri studium, quibus omnes illæ civitates arti-
 um & literarum summam obtinuerunt laudem. Præ-
 ter Asiam autem & Europam, Africa etiam Græcis
 ornata est literis. *Cyrene*, commerciis præcipue cla-
 ra, literas etiam & artes coluit: *Aristippum* saltem
 genuit. Postea autem *Alexandria*, quam, ut sedes es-
 set & imperii sui & commerciorum & literarum Græ-
 carum, per totum orbem extendendarum, Alexander
 Magnus ædificaverat, sublime ejus consilium sub Pto-
 lomæis, non omne tantum, implevit: diuque & com-
 merciorum & literarum sedes mansit.

Græ.

Græcæ quoque originis forte fuerunt artes & literæ, quæ in Hetruriæ opulentis urbibus, jam ante Romam ædificatam, egregie floruisse videntur.

A Romano autem imperio orbe quoque literario occupato: præter *Romam*, *Napolis* (quæ, & olim *Parthenopes* nomine celebris, literarum fuerat domicilium) *Augusti* tempore & sequentibus, eruditorum & artificum hospitium erat. Ibi & *Livius* operam literis dederat, & *Virgilius* *Georgicon* libros scripserat. Ibi quoque hic mortuus est. Ibidem *Statius*, sepulchrum ejus colens, artem ejus imitatus est, & *Claudianus*, postremus Latinorum vates, poëticum hausit enthusiasmum. Nec *Italicæ* tantum & Græcæ provinciæ, sed barbaræ etiam, *Hispania* & *Gallia* in primis, literis inclaruere. In illa *Corduba* præcipua erat eruditorum patria: quæ & *Senecam* utrumque atque *Lucanum* genuit. *Hispanæ* quoque *Martialis* & *Quintilianus* originis fuerunt; ac forte *Silius Italicus*: quem tamen alii Romanum habent. In *Gallia* vero *Lutetia Parisiorum*, ubi & *Imperator Julianus* literis operam dedit, inter ceteras hujus provinciæ urbes, artibus & literis ornatas, sensim eminuit.

Etiam in *Anglia* literas Romanas excultas fuisse, non est dubium: sed perierunt monumenta earum. Idem de provinciis Africanis, Ægypto excepta, valet. Præcipua autem literarum in orbe Romano do-

micilia, præter Romam, *Athenæ & Alexandria* man-
s'erunt: donec *Constantinopolis* hanc sibi propriam red-
deret laudem: quam usque ad tempus, quo in Eu-
ropa occidentali scientiæ restaurari inciperent, conser-
vavit.

Medio autem ævo, Arabibus præ ceteris genti-
bus literas colentibus, Caliphæ Abbasides *Bagdadum*
musarum asylum fecerunt. Inter ceteras vero orbis
orientalis urbis, præter *Meccam*, quo itinera religio-
nis causa fiebant, quæ ad cognitionem variarum re-
rum latius dispergendarum non potuerunt non condu-
cere, *Samarcandia* in Historia Literaria laudanda est.
Quæ scilicet non commerciis tantum, sed artificiis e-
tiam magnam in Asia obtinuit famam; ubi & papyri,
si non linteæ, gosypinæ tamen, inventio, in repu-
blica literaria magni sane æstimanda, facta esse cre-
ditur.

Renaſcentibus denique literis, primum Provincia
Gallorum, carminibus poëtarum Trovatorum, atque Pe-
trarçæ etiam nomine, ibi educati, ibique Lauram canen-
tis gloriata est. *Florentia* vero poëſi Dantii & Ludovici
Pulei, nec non Angeli Politiani, qui & literas antiquas
cum Græcis e Constantinopoli Florentiam migratis
restauravit, eruditioni horum, tabulis Leonardi de
Vinci, Mich. Angeli Buonarotæ, Andreæ Sartorii, a-
liorumque scholæ Florentinæ pictorum, in primis ve-
ro

no Mediceorum in literas amori, magnam suam in orbe literario celebritatem debuit. Deinde *Ferrara*, summis ingeniosis Ariosti & Tasfonis tutelam offeren-
do, immortalem sibi acquisivit laudem. Nec *Venetia*, commerciis ditata, literarium neglexit deus. Ad re-
stituendas nempe literas antiquas etiam illa libris im-
primendis & colligendis conduxit, poëtas Bembo &
Dolce genuit, suaque pictorum schola, inter quos Ti-
tianum nominasse sufficiat, insignem obtinuit famam.
Denique *Roma* & poësis dramaticæ, ibi a Trissino &
Bibiena restauratae, & picturæ a Raphaele de Urbi-
no, Julio Romano aliisque magni nominis artificibus
perfectæ, ceterarumque artium & literarum, quas
Papa Leo X singulari amplectus est favore feliciter
cultarum, gloria inclaruit: sed præsertim restauratio-
ni literarum Græcarum & Latinarum, Bibliothecæ
Vaticanæ, quam imprimis Papa Nicolaus V, omnis e-
ruditionis fautor, egregie instruxerat & auxerat, mo-
numentisque artis antiquæ pretiosissimis id debuit, ut
de novo princeps Musarum domicilium haberetur.
Quem tamen principatum *Lutetia Parisiorum*, hodie
salem, Romæ prærexit: ut de *Londino*, *Vienna*, *Be-
rolino*, *Madrido* ceterisque regnorum Europæorum
sedibus, quæ bibliothecis magnis aliisque artium &
literarum monumentis ornantur, nil moneamus: hoc
tantum observantes: in magnis urbibus, quibus & au-
læ est decus, & imperii auctoritas, & hominum fre-
quentia ac opulentia, literas præsertim elegantes, fe-
licis-

licissime florere. Sed insignem orbi librario mercatoria quoque industria usum præstat: vel artes adjuvando, vel libros edendo & vendendo. Illo nomine *Antwerpia*, Rubensi patria, quæ & ceterorum pictorum Flammandorum artificiis nostrum usque ad tempus decorata fuit; hoc *Amstelodamum*, editione Authorum Classicorum antiquorum seculo in primis XVII clarum; utroque autem plurima & Italiae & Germaniae oppida laudanda sunt, ut de magnis, quas jam nominavimus, urbibus, hac etiam re primis, nil repetamus. Inter loca autem, quæ externis adminiculis literis faverunt, *Moguntiam*, ubi nova arte primi impressi sunt libri, & *Lipſiam*, ubi famosæ librarium nundinæ celebrantur, nominemus. Sed, quæ in historia literarum restauratarum & recentiorum præ omnibus aliis observandæ esse videntur, Universitatum vel Academiarum sedes adhuc commemorandæ sunt. Quis igitur ignorat, in Italia Academias *Bolognensem* & *Salernitanam*, illam juridica præcipue, hanc medica facultate claram, in Hispania vero *Salamancæ*, in Gallia *Lutetiacæ*, in Anglia *Oxonii* & *Canabrigiæ*, illam literarum antiquarum classicarum, hanc scientiarum mathematicarum studiis insignem, in Scotia *Edinburgi*, in Germania *Lipſia*, *Gottingiæ*, *Halæ* & *Jenæ* Academias, ut cetera, & Germaniæ & aliarum terrarum, Lycea brevitatis causa prætereamus, — & ad restituendam antiquam generis humani lucem, & ad novam dispergendam indiesque augen.

gendarum utilis & necesarias fuisse: non obstantibus
vitiis, quae in institutis hisce, Papalis auctoritatis i-
nitio magis quam literarum adminiculis, vel ho-
die latent?

Extra Europam denique, non *Philadelphia* tan-
tum inter ceteras reipublicæ Americanæ urbes, arti-
um & literarum culturæ haud expertes, sed *Calicutta* etiam, singularem ab eruditis respectum mere-
tur. Huic præsertim id debemus, quod & societa-
tis Indicæ, ibi institutæ, explorationibus, & libris
ibi editis, novam ad Europam disperserit non gentium
modo & terrarum, sed etiam literarum orientalium,
Indicarum in primis & Persicarum cognitionem, mul-
tis sane nominibus magni æstimatione. Neque urbs
Sinesium Pekin inter literarum domicilia est præter-
mittenda: ibi enim, præter societatem Astronomicam
& Medicam, est quoque Academia scientiarum, si-
ve Collegium *Hanlinorum*: cuius scilicet membra ex
doctissimis & sapientissimis viris collecta, vel regi
sunt a secretis, vel publice juventutem instituunt,
vel in ædificii magnifici otiosa solitudine scientias
colunt. In hac quoque urbe doctores creantur Si-
nensium: atque publicæ imprimuntur ephemerides,
quæ tamen nil continent, nisi quod ex aula regia
emanavit. Etiam *Benares*, urbs Indica, quæ olim
religionis & literarum Indicarum sedes fuit, quæ &
hodie sacra habetur, atque observatorium Astrono-

micum conservavit, hic commemoranda est. Inter sacra autem Asiæ loca, quæ multitudinem hominum ad illa peregrinantur, & religionis in mores benefica vi, & commercio plurium gentium ibi concurrentium, suamque invicem rerum cognitionem commutantium, excolunt, præter Meccam & Medinam, Com in Persia nominetur. Postremo autem observabimus, hodie etiam Samarcandam, Buchariæ urbem, in orbe literario eminere; omnium enim scholarum Mahomedanarum præcipuam habet; necdum papyri fabricandæ artem dedidicit: nullibi nempe æque pulchra, ac Samarcandæ, e serico conficitur.

C A P. II.

Præcipuis igitur artium & literarum sedibus finanter commemoratis: temporum quoque, quibus in primis excultæ sunt, conspectum brevislimum addemus. Cujus vero quasi index sit generalis hæc observatio: istis præcipue temporibus artes & literas floruisse, quibus magnis gentium & rerum publicarum perturbationibus otium succedit, quod non inertia corrupit, sed principis ejusdam victoris sapientia, vel civium industria, ad pacis studia vim ingenii sui, aut exteris bellis aut disiidiis intellinis excitati, subito convertentium, feliciter animavit & nobilitavit.

Sic

Sic bella Nini, Semiramidis & Nebucadnezaris
 artium secuta est cultura, quæ Niniven, & præser-
 tim Babyloniam decoraverunt. Similiter in Ægy-
 pto, postquam & a dominio gentis (Arabis forte)
 Hycos, & ab intestinis de regno disceptationibus
 liberata erat, Pharaones vero Diopolis sive Theba-
 rum totam occupaverant Ægyptum, (inter quos Maris
 quoque & Seostris referendi esse videntur, nisi no-
 mina hæcce, æque ac Olympanæ, mere hierogly-
 phica habenda sint): aureum illud exstitit ævum,
 cuius monumenta hunc usque ad diem conservata,
 non magnificentiam tantum Orientalem regum, sed
 culturam etiam artium, Mechanicarum saltem, &
 scientiarum, ut jam ante observavimus, nobis testan-
 tur. In Judæa porro, quod tempus & bellis exte-
 ris & discordia civili turbulentius fuit, quam quo
 David regnabat? Hujus tamen regno successorisque
 sui, qui jam sedatiorem gubernavit civitatem, psal-
 mos Davidicos summamque poëeos perfectionem,
 nec non librorum Salomonis eloquentem sapientiam,
 variamque subditorum suorum eruditionem, atque
 templum Hierosolymæ, ceteraque literarum & arti-
 um perdita monumenta debita esse, quis nescit?
 Quin, vetustiora poëeos hebraicæ specimina cantus
 v. c. ad mare rubrum, Deboræ carmen atque o-
 mnino Mosis Josuæque libri, tempestatum quasi &
 pugnarum suboles erant.

Nec aliter in Græcia res se habet. Primis nempe literarum rudimentis a peregrinis colonis ad Pelasgos & Hellenes apportatis: expeditio deinde Argonautica, & in primis bellum Trojanum, non materia tantum poëseos ab Homero ceterisque vatibus felicissime exultæ, sed causa etiam fuit excitati ingenii Græci: quod cum plures cognoverat terras & gentes, earumque diversas & naturales & artificiales indoles, tum magnarum rerum gestarum conscientia vehementiumque animi motuum perdurante efficacia, ad rerum naturam & poëtice & philosophice describendam, ac variis artibus imitandam, novam applicabat vim & servorem. Lyricis porro & gnomicis, qui epicos & theurgicos sequebantur, poëtis, septemque sapientibus, & qui post eos veniebant variarum sectarum philosophis, si non magnæ aliquæ totius Græciæ commutationes, frequentia tamen disidia & pugnæ, cum inter innumeræ parvas civitates, quas Græcia continebat, tum inter cives liberos & tumultuosos partiumque studiis agitatos, otium, quod Musæ amant, parasse & novum quasi ac desideratum reddidisse videntur: quod deinde commercia & divitiae ornavant, studiisque & artium & sapientiae aptum ita reddebant, ut terram hyemis nivibus & imbribus nutritam ad novos ferendos flores & fructus idoneam veris calor hominumque nova alacritas & industria faciunt. Quin, in ipsis belli & discordiæ civilis procellis pulcherrimi nati sunt poëseos flores: Tyrtæi v. c. carmina & Alcæi.

Omni-

Omnium vero præstantissima & poëseos & philosophiæ & eloquentiæ & artium opera Athenæ exhibuerant. Quo autem tempore ingenium Atheniensium ad hæc studia excitatum est? Nonne finito bello Persico, & occupante inter Græcas civitates principatum republica Attica? Postea Alexandria refugium fuit Musarum: ibi scilicet post agitatum armis Alexandri M. ejusque imperatorum totum fere orbem antiquum, regiam in musæo & bibliotheca tutelam inventum. Quæ instituta ad conservandas saltem literas Græcas egregie conduxisse, æque est indubium, ac certum est, ad illas per omnes mundi partes dispergendas Alexandri expeditionem utilissimum fuisse providentiae divinæ adminiculum.

Similiter literæ Romanæ, inter bella punica natæ, non ingeniis tantum Enniorum, Plautorum, Terentiorum, sed tutelæ etiam Scipionum & Læliorum, sumorum in republica virorum, primam debuerunt culturam. Deinde novam in bellis civilibus viu sibi acquirentes, illis nondum finitis, a Cicerone jam partim perfectæ sunt. Tum in otio, quod, Augusto imperante, procellas illas vehementes fecutum est, summam omnis fere generis laudem festinanter obtinuerunt.

Neque Arabum literæ ante effluerunt, quam & bellico & religioso fanatismo agitati, magnam orbis antiqui partem victores occupaverant.

Restauratio denique literarum in Europa nonne commotione promota est omnium fere civitatum? Cujus causæ erant, expeditiones cruciatæ, feudales contentiones, libertatis municipalis restitutio, Constantiopolis a Turcis occupatio, Americæ novæ ad Ostindiam viæ detectio, atque reformatio Lutheri.

Atque si historiam diversarum gentium Europæarum, quæ literas elegantiores feliciter excoluerunt, consulimus: omnes eandem confirmabunt observationem.

In Italia eodem tempore, quo contentiones Guelphorum & Gibellinorum, nec non magnum ecclesiæ Romanæ schisma, omnes res publicas quam vehementissime perturbabant, Dantius & Petrarca, uterque e patria, partium studiis lacerata, exsul, linguam & poësin Italicam creabant. Neque Mediceorum regnum, artibus & literis ornatum, civili carebat tempestate.

In Franco-Gallia aureo Ladv. XIV seculo, quod & ipsum cum bellis exteris tum discriminibus intestinis concussum est, magnæ præcesserunt reipublicæ commutationes, cum ante, tum post regnum Henrici IV: sub quo jam Malherbe linguam francicam formaverat, quam deinde Racine, Moliere & Boileau perfecerunt. Atque expectandum est, post novissimas Gallicæ reipublicæ convulsiones, novum etiam literas & artes exsurgentias esse vigorem.

In Hispania Americæ occupatio, in Lusitania autem Expeditio Vasco de Gama, poëtarum quoque ingenium accenderunt. Ipsi & Alonzo d'Ercilla & Camoëns spectaculo rerum novarum a se descriptarum interfuerunt: quin ille res cecinit se duce gestas.

Angliæ porro summi poëtæ vel in perturbatione temporis, vel mox in illam sequenti tranquillitate vixerunt. Chaucer nempe sub regno splendido sed procelloso Edv. III, cum Gallia gloriosum gerentis bellum, jura autem senatus (Parlamenti) augere coacti; *Shakespear & Spenser*, Regina Elisabeth civiles & religiosas contentiones, nec non bellum a Philippo II regis Hispaniæ illatum feliciter dispellente; *Milton* demique, Carolo I sub seditione Cromwellii cadente, poëfi Angliæ vim & luxuriam, quæ illam insigniunt, audacter dederunt. Neque tempus, quo Dryden & Pope classicam ejus perfecerunt elegantiam & puritatem, illa cum ceteris ariis literarum sœculis similitudine caret, quod otium ejus tempestatibus vel successerit vel etiam abruptum fuit.

In Germania aula Imperatoris Frederici I, & seditiones civiles compescientis & cum Papa contendentis & expeditione cruciata occupati, Musarum tamen fuit domicilium, a poëtis *Minnesinger* jam cultarum. Deinde Lutherus, otio haud fruens, linguam formavit germanicam. Opitz porro sub bello per triginta

annos gesto, totamque Germaniam perturbante, prima confecit carmina, quæ omni tempore legi possint. Sæculo denique octodecimo, bellis forte, & a Maria Theresia & a Frederico II, Prusiæ Rege, gestis, novam Germani debuerunt ingenii alacritatem, qua & linguam suam & omnia fere perfecerunt literarum studia.

In nostra denique patria primum victoriæ Gustavi Adolphi, deinde pacis & libertatis, post Caroli XII mortem acquisitæ, studia, tum benefica temporis tranquillitas tumultuosam civium contentionem, sub regno Gustavi III, repente sequens, causæ sunt literarum a Stjernbjelmio, Dalino, Gyllenborgio, poëtij = que Gustavianis feliciter cultarum.

